



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 51. De septimo Verbo, & expiratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

postolo dicere possim, *b cursum consumma-* *b 2. Timot.*
ui, fidem seruaui & fidelitatem, quam Deo de- *4 7.*
 bui. O Iudex hominum supreme, cuius iu-
 stitia ita erit exacta & consummata, sicut fu-
 it misericordia; adimple nunc in me tuam
 misericordiam; vt gratia & meritis nunc
 replens, postea etiam impleas iustitiam,
 reddendo mihi eorum coronam in gloria.
 Amen.

MEDITATIO LI.
 DE SEPTIMO CHRIS-
 TI verbo, & eius
 morte.

PVNCTVM I.



LAMANS a voce magna IESVS, ait: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* *a Luc. 23. 46*

CIRCA vltimum hoc verbum exquirendæ sunt causæ, I.
 cur clamore magno illud protulerit: fuit au-
 tem prima causa, vt omnes intelligerent, i-
 ipsum & fortitudinem, & vires habere ad vi-
 tam producendam, & mortem auertendam,
 si voluisset; ideoque quod moreretur, id fie-
 ri, quia ipse volebat mori, iuxta illud, quod
 alias ipse dixerat: *b Nemo tollit animam* *b Ioan. 10. 18*
meam à me; sed ego pono eam à me ipso,

& pa.

Et potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Gracis tibi, dulcis IESV propter hanc voluntatem, quam mihi voluisti, & vitam tuam dare pro me, meam ego tibi ex nunc offero, paratus eam perdere, quodcumque pro gloria tua opus fuerit.

II.

SECUNDA causa fuit, ut ostenderet naturalem sensum, quo anima afficitur, dum à corpore separatur: aspiciebat enim, quam bonum socium se ipsi præbuisset, triginta annorum spacio; & quam se bene gessisset, adiuvans & serviens ipsi animæ in omnibus nostræ redemptiois operibus: & quoniam ipsum quoque corpus, Diuinitati erat coniunctum sicut & anima; hinc dolor & naturalis poena animæoriebatur, cum se à corpore separaret; quam poenâ clamore illo manifestauit, loco agonie & anxietatum, quas alia anima sentiunt, dum à suis corporibus separantur. O sanctissima IESV Anima, propter illum dolorem, quem in tua separatione à corpore tuo sensisti, supplex oro, ut meam ita confortes, ne ultra modum sentiat, à suo discedere.

III.

CLAMAVIT denique; Christus Dominus voce illa magna, & sonora, in signum victoriae, quam de Dæmone & Inferno reportabat. Nā ut c. Gedeon, confringens hydrias suas, excitato clamore, Madianitas superavit, ita gloriosissimus iste Dux noster, confringens corpus suum tormentis in cruce, & magna hac voce clamans, morte sua vicit Dæmones; terrorem &

stupo-

stuporem adferens potestatibus Inferni. Fuitque vox hæc miraculosa: nam qui sunt cruci affixi, quòd exangues moriantur, cùm sunt morti vicini, valde sunt debiles: at bonus noster IESVS, vsus tunc est sua potentia, quòd ostenderet mortem suam esse ad victoriam, & in ea latere suam fortitudinem & victoriam. Gratias tibi, Saluator potentissime, ob insignem partam victoriam, non tam tibi, quàm nobis; vt qui mortuus tu sis, vt nobis vitam adferres. Supplex oro Domine, *ne, cùm defecerit virtus mea, derelinquas me*: Sed tua me confortes, vt moriens, per te obtineam victoriam, quam tu pro me obtinuisti.

PUNCTVM II.

DEINDE perpendenda sunt verba illa, quæ Christus Dominus voce magna dixit, accepta ex Psalmo trigesimo: est enim fas credere, statim post illud verbum, *consummatum est*, incepisse interiùs mente dicere pium illù Psalmum; in quo cùm peruenisset ad illum versum, vocem extulisse ac dixisse, *a Patre in manus tuas commendo spiritum meum*, cuius singula verba, singulare continent mysterium: Patrem enim còpellat, in signum amoris & fiduciæ, quæ in hora mortis valde est necessaria, vt faciat Deus, Patris officium erga nos, protegens ac defendens, & admittens ad promissã filijs suis hæreditatem. Est verò necessariù præstare nos in vita,

a Psal. 30. 6.
I.

officiū bonorum filiorum, eundē diligendo, colendo, eidemq; vt talis Pater mereatur, inseruendo. O Pater amantissime, concede mihi rota vita mea spiritum veri filij, vt in hora mortis, confidenter possim te Patrem appellare.

II.

COMMENDAT deinde spiritum suum in manus Patris, vt significet, in huiusmodi Patris & non alterius manibus, fore securum.

b Psal. 118. 73

c Isai. 49.

16.

d Psal. 30.

16.

e Apoc. 3. 5.

Illæ b manus fecerunt uos & plasmauerunt nos, & c in eis descripsit nos, ne obliuiscatur nostris; d in eisdem manibus sunt sortes nostræ, ex eis enim dependet felix nostræ salutis fors. O anima mea, proijce te in Patristui manus, qui cū te scriptum in eis habeat, e non delabit nomen tuum de libro vitæ: & si quidem fortes tuæ in eius sunt manibus; efficiet, vt contingat tibi felix fors gloriæ. O dulcis IESU, sicut tu spiritum tuum, in manus Patris commendas; ita ego meum commendo in tuas, quas in cruce habes extensas, vt peccatores ad eas confugientes amplectaris. Istic electos tuos, sanguine tuo scriptos habes, tua fortitudine ita affixos, vt f nemo illos rapat de manu tua; in meis non est securus spiritus meus, quia valde sunt debiles; tuis ergo, quæ fortissimæ sunt, illum trado; quem quia eisdem redemisti, fac etiam eisdem glorificari.

f Ioan. 10.

28.

III.

TERTIÒ dixit se commendare spiritum suum non facultates, quas nullas habebat, non suum honorē, qui non illi erat curæ; non corpus, quia non illud est, quod maximi facit.

166

sed comendat spiritum, qui est hominis pars præcipua; à cuius bona sorte & felicitate reliquum dependet. Hoc exemplo nos docens, quam curam & sollicitudinem deceat nos habere in hora mortis, ut animam nostram Deo comendemus, ipsius providentiæ committentes, quæ circa corpus euenient: si enim spiritus meus, in Dei manus deuenit, hoc satis est mihi, ut sim beatus.

IV:

SE D vterius progreditur Christi charitas: his enim verbis non solum spiritum proprium Patri commendauit; eiusque manibus tradidit tanquam in deposito, ut post triduum eundem reciperet, & coniungeret corpori; sed in suo spiritu, etiam commendauit spiritum suorum electorum, quem tanquam proprium habebat: nam, ut ait Apostolus, *g qui adheret Domino vnus spiritus est cum illo: quare etiam meum spiritum, & spiritualem vitam, quam merito ducere debeo, Patri suo commendauit; orans, ut sub præsidio suo & protectione, me totum susciperet; quo eodem sensu possum & ego hæc verba, non solum in hora mortis, sed etiam in vita usurpare.*

1. Cor. 6:
17.

PUNCTVM III.

ET a hac dicens, *inclinato capite, tradidit spiritum.*

a Luc. 23. 46
Ioan. 19. 30.

CIRCA hanc capitis inclinationem (quæ, ut spontanea fuit, ita non fuit sine mysterio) eius causæ sunt considerandæ. PRIMA, fuit, ut significaret se mori ex obedientia, capite

L

mm 2

diui-

diuinæ ordinationi inclinatio. SECUNDA, vt cordis sui humilitatem & suam paupertatem ostenderet; cum non haberet in cruce, vbi caput suum reclinarer. TERTIA, vt nobis aperiret magis grauitatem nostrorum peccatorum, quæ suo pondere, ad mortem vsq; ipsum demiserunt. QUARTA, vt Lymbi locum, ea declinatione designaret, ad quem eius spiritus iter dirigebat, vt illū spoliaret.

EX his causis, affectus elicium gratitudinis & imitationis, collum meum & caput iugo obedientiæ pro Christo inclinans; semper aspiciens terram, ex qua fui conditus, & Infernum, quem sum promeritus, & ad quem pondus meorum peccatorum deprimit. Supplicabo igitur Christo Domino nostro, vt propter sui capitis in cruce inclinationem, veram obedientiam, humilitatem & paupertatem, quo caput meum nunc demisse inclinans, idem postea liceat confidenter eleuare.

II.

DEINDE perpendendum, ita Christum Dominum nostrum, suum spiritum tradidisse, vt tamen reuera moreretur, vi & atrocitate dolorum, quos in ipsa cruce sustinebat, & propter sanguinis defectionem, qui ex eius vulneribus continuè diffuebat; & sic ut venæ sanguine euacuari incipiebant: sic & facies capit immutari, ac reliqua membra corporis ita debilitari, vt viribus deficientibus, tandē expirauerit. O summe Sacerdos, quam aptū sacrificiū te ipsum in ista ara crucis obtulisti! o Magister sapientissime, quam

pro-

profundam iustitiæ & sanctitatis lectionem,
 in ista crucis cathedra prælegisti! O Redem-
 ptor liberalissime, quam copiosum pretium,
 pro tuorum captiuorum redemptione dedi-
 sti! O Sol iustitiæ, qui, vt b *Gigas processisti* b *Psal. 13. 6*
ab Oriente, quam benè *viam tuam cucurristi*,
 illuminans & calefaciens terram, vsq; ad *Oc-*
cidentem tuæ mortis! Gratias tibi, pro tot la-
 boribus, mei amore & causa susceptis; tem-
 pus iam erat, vt sine tuis pœnis imposito, re-
 quiesceres, dicens cum Dauide, *c in pace in id-* c *Psal. 4. 9.*
ipsum dormiam & requiescam. Sed quamuis
 corpus huius Domini, verè manserit à pœnis
 expeditum; erat tamen omnibus aspicienti-
 bus esfigies & exemplar dolorum, præcipue
 sacratissimæ Virgini, cuius dolor non ces-
 savit per mortem Filij sui, potiùs quodam-
 modo fuit renouatus, cum se priuatam cer-
 neret eo, quem tantoperè diligebat. O qua-
 les lacrimas ab oculis suis emisit! qualia
 suspiria, quos gemitus, è corde suo eduxerit!
 quos spiritus clamores, in Cœlum extulerit!
 quam viua habuerit desideria, sanctissima e-
 ius anima, Filij sui animam comitanti; quas
 querelas amore plenissimas, æterno Patri
 obtulerit; quod solam relinqueret in hac
 miseriarum valle; quamuis ipsa omnes illas,
 perfecta voluntatis suæ conformitate cum
 Diuina perferret; quæ tamen quòd viuam fi-
 dem certamq; spem resurrectionis haberet,
 aliquod accepit solatium, videns iam sine
 pœna eum, qui tot perpeffus erat; nec igno-
 rans,

rans, omnes eius labores, morte illa suam accepisse.

III.

DENIQUE licet considerare, quod multi sancti in hoc loco perpendunt, adfuisse videlicet dæmonem præsentem ad vnum latus crucis, sollicitè expectantem, si quid fortè in Christo inueniret, quod ad se spectaret, vt illud arriperet; sed nihil inuenit: ipse enim Christus iam antea dixerat: *di venit ad me Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Credendum quoque est, quandoquidem Angeli adstant iustis morituris, misisse Patrem æternum aliquos ex suis Hierarchijs, qui supremi huius iusti inter omnes iustos, morti adfisterent, non vt illum iuuerent, sed vt venerarentur & comitarentur. *O Iesu sacerdos magne,* qui sicut alter ille sacerdos eiusdem nominis, *indutus es vestibus sordidus,* non à proprijs culpis, sed alienis, habesq; *ad latus satanam,* vt *aduersetur tibi* quis non ad dextrum, sicut alter ille habebat, sed ad finistrum; quia nulla in rete potuit superare, ad alterum verò latus habes, non vnum Angelum, sed plurimos, ad te honorandum astantes: *supplex te oro,* vt memineris mei in hora mortis meæ, purgans animam meam ab omni sorde peccati; vt non possit Satanas contra illam præualere: mittere etiam sanctum tuum Angelum, qui me ita defendat, vt statim atque anima mea fuerit à corpore expedita, mereatur in tua gloria collocari. Amen.

d Ioan. 14.
30.

e Zach. 3. 3.

Medit. 2. p. 1

SUMMARIVM PRAECE-
dentium Meditationum,

IN QVO INSINVATVR RATIO
quædam bene viuendi, & preparatio ad bonam
mortem, ad imitationem Christi Domi-
ni Crucifixi.



RIMVM, sicut Christus Domi-
nus noster, fuit in cruce nudus,
& vestes suas reliquit militibus,
vt illas inter se diuiderent; ita
studendum mihi est, cor meum
exuere amore rerum omnium huius vitæ, ita
vt omnino sim nudus ab inordinatis affecti-
onibus, quas habebam. Et quod attinet ad
vsum rerum, quas possedero, ita meipsum
debeo moderari, vt non accipiam, nisi eas
tantum, quæ mihi erunt necessariæ; exuendo
me à superfluis, & ijs, quæ vanitatis aut de-
liciarum causa accipiuntur: & quoad pro-
prietatem illarum, oportet me ab aliquibus
exuere, vt pauperes induantur: immò si
possim, præstabit, ab omnibus me exuere,
renunciando illis, vt nudus nudum IESVM
sequar; & omninò nudus moriar, sicut
ipse, deposita omninò rerum tempo-
ralium cura, quò possim attendere æter-
nis.

L

II.

DEINDE sicut Christus Dominus noster fuit in cruce, manibus & pedibus ita cōfixus, vt non esset ei liberum, ab vna in alteram partem se mouere, effluente sensim sanguine per eius vulnera, donec totus ex venis esseret. Ita ego, non satis mihi esse existimabo, si externis me rebus, quas possideo, expolies; sed curandum mihi est, quod Sanctus Apostolus monet, *a carnem meam crucifigere cum vitijs & concupiscentijs*, in cruce Christi, ita, vt nec manus, nec pedes liberos habeat: vt optet aut faciat aliquid, quo ab ipsa cruce declinet; sed omnino sit spiritui subiecta, & clavis timoris & amoris Dei, & obedientiæ eius sanctæ voluntati confixa, vt supra diximus. Et hoc modo pergere debet, donec uacuet, quidquid in ipsa est mali sanguinis suorum peccatorum, & imperfectionum: nam vt is, qui est cruci affixus, non vno i-ctu moritur, sed paulatim, sic non potero vno tractu, passiones omnes & affectiones inordinatas mortificare, sed *b paulatim atque per partes*; longa patientiâ & spe, per- gendo continuè in exercitatione mortifica- tionis, donec ad perfectam mortem perueniam. Et sicut crucifixus, non se ipsum affi- git, sed alius eum clavis configit; sic caro ab alijs est crucifigenda; ab spiritu, pœnitentijs, negando illi appetitiones & desideria sua; sed & carnem & spiritum crucifigit Deus la- boribus; & Dæmon tentationibus; & homi- nes persecutionibus quas patienter tole-

rare.

*a Gal. 5. 24.**assian. lib.**4. 34. & 35**medi. 44.**b Dmt. 7.*

rare debemus, donec tam felici morte moriamur.

TERTIÒ, sicut Christus D.N. in cruce, singularem habuit curam satisfaciendi suis obligationibus & officiis erga tres personas, Matrem videlicet suam, Discipulum, & bonum latronem, quibus, ut supra diximus, est locutus: sic ego hanc curam suscipere debeo, ut obligationes meas, pietatis & iustitiæ, status & officij mei, erga tres præcipuè personas expleam; erga superiores videlicet, qui per Matrem significantur; erga domesticos, qui per discipulum; & erga reliquos homines, qui per bonum latronem insinuantur, dans unicuique quod debeo, & omnes iuvans optimo, quo poterò, modo. Debeo præterea perfectæ charitatis obligationes explere, orans Deum pro meis & ipsius inimicis, ut eos convertat; & meorum proximorum defectus excusans, sicut ipsemet Dominus fecit, ab hoc incipiens officia sua explere.

III.

QUARTÒ sicut Christus Dominus noster, postquàm his obligationibus satisfecit, in tribus horis, quibus tenebræ perdurarunt, incubuit orationi, tanquam qui se ad mortem præpararet: sic ego, postquàm mei status & officij obligationibus satisfecero, tempus aliquod separatim & quietum mihi accipiam, ut vacem soli Deo; meamque salutem & bonam mortem negotier; & nominatim magnam in me sitim excitè illi similem, quam Christus habuit, obediendi Deo, eiusque ministris,

IV.

m m s mul-

multumque patiendi, eius seruitij causa, & multas animas lucrandi, quæ illi seruiant. Et quò magis morti propinquus fuero; eò hæc orationis exercitia & effectus, quæ ab ea procedunt crescere debent amplius; me ipsum ad eam suscipiendam disponens, iuxta illud sancti Gregorij, *quantò morti vicinor, tantò sollicitior.*

Libr. 7. ep. 1.

V.

QVINTÒ curandum mihi est, ad eã dispositionem, vt omnia mea opera ita rectè fiant, vt ad singulorum finem, dicere mihi liceat verbum illud Christi, *consummatum est*, quod Deus in hoc opere mihi faciendum iussit. Et eodem modo totum diem ita expendam, vt nocte accedete, idè verbum iure dicere possim: & pari passu vitam meam ordinare, & ad eius finem præparare me oportet sacramentis Confessionis, & Viatici; testameto ac dispositione omnium rerum, iuxta obligationem meã; & tunc in vniuersum verè dicere licet, *consummatum est* quidquid Deus mihi iussit.

VI.

VLTIMÒ, toto vitæ meæ decursu, & in ipso mortis transitu, amanter & confidenter meum spiritum Deo commendabo, eiusque manibus custodiendum, ac defendendum, gubernandum & ad æternæ beatitudinis finem dirigendum tradam, vt proxima meditatione est dictum. Sed vt Christus Dominus noster, in ætate sua florida, trigésimo tertio videlicet ætatis suæ anno, mori voluit, (quo tempore homines egerrimè ferunt mortem) ita ego magna resignatione, in ipsius manus

me

me offeram, ut me accipiat, cum illi maxime libuerit, quamuis in optima aetate & aetatis meae constitutione, & in medijs rerum, quas expeterem, tractationibus; confidens illi, quod in ea aetate, tempore, & loco, quae magis mihi & salutis meae expedient, sit me vocaturus.

MEDITATIO LII.
DE PRODIGIIS, QVAE
Christi post mortem eue-
nerunt,

EST Christi Domini nostri mor-
tem, praeter tenebras, quae illam
praecesserant, secuta sunt alia mi-
racula ob tres fines: ad declaran-
dam videlicet morientis gloriam;
crucifigentis vero populi scelus; & ad pronunci-
andos admirandos effectus, qui erant mortem
illam secuturi.

Vide Intro-
duct. huius
partis.

PUNCTUM I.

ET ecce Velum templi scissum est in duas
partes, à summo vsque deorsum.

a Mat. 27. 51
Marc. 15. 36.
Luc. 23. 45.
I.

Huius diuisionis duae fuerunt praecipuae
causae. PRIMA, quod sicut summus sacerdos
Caiphas, cum audiuit à Christo ipsum esse fi-
lium Dei, indicans illam esse blasphemiam

scidit